

niant, mactant, & excarnificant, vt spolia referant. Venire itaq; est aliam, quàm Christi, doctrinã docere. De quibus Iere. ca. 23. scribitur, Non mittebam Prophetas, & ipsi curebant: nō loquebar ad eos, & ipsi prophetabāt. Non de Prophetis hic locus intelligitur, sicut delirant Manichæi, qui volentes ostendere vetus Testamentū non esse à Deo, & Prophetas non esse missos à Deo, defendūt se hac authoritate, dicentes, Omnes quotquot venerūt ante me, fures sunt, & latrones. De seditionis igitur, & non veris Prophetis hic locus intelligendus venit: quos narrat Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 1. & lib. 2. de bello Iudaico, cap. 7. & alibi. Pertinent quoq; hæc & ad Scribas, & ad Phariseos, qui clauem scientiæ rapuerant, & humana sua fragmenta pro lege Dei docebant, suo lucro vbiq; studentes. Id quod Matth. cap. 18. & 23. obiectum illis à Domino legimus. Quotquot igitur ante ipsum venerant, non per ipsum, nō ipsius instructi Spiritu, non ingressi per verum & iustum ostium in ouile, id est, ouibus Dei sese ingesserunt, nō missi ab ipso Christo. Hi non sunt pastores, sed Fures, & latrones, nimirum quæstus auidi, & tyrannide violenti deceperunt conscientias, disturbauerunt, excarnificauerunt, perdidērunt, deprædati sunt. En tibi, o pie lector, germana pseucoe apostolorum descriptio, verus ipso rum impostorum genius, expressissima quæstuatorum, & Antichristi præambulonum nota, & imago.

[S E N non audierunt eos oues.] Horū omnium impostorum vocē audiuerunt quidē sues, & hœdi, qui mundū diligunt: non autē O V E S, hoc est, electi æternæ vitæ pascuis destinati, & Euāgelici pabuli auidi. Non audierūt, id est, nō sunt sequuti illos, dedētes se illis toto corde, ita vt sese dedunt Christo, & ijs, qui Christi doctrinã purè prædicāt, auersantes omnem Pharisaicā hypocrisim, & fucatā religionem, ac sanctimoniã quandam, externo quodā gestu habitue corā plebecula speratam eneruantes. Non audierunt oues ipsos impostores. Vox enim (quæ cum pronuntiante aliquid cognationis habere solet) nō sonabat pastorale quiddam, sed prædonis magis, ac lupi. Obserua, pijs semper fuisse periculum à pseudo apostolis, & falsa doctrina: proposito tamen errori, & imposturæ non acquiescisse permanēter, hoc præuidente pastore Christo.

Venire, vet-
bum.

Manichæi.

Pseucoe apo-
stolorū descri-
ptio
Quæstuatorū
notæ.